

ARTICULUS VIII.
DE
PROVIDENTIA.
APHORISMUS I.

Providentia est actio DEI externa, quâ ipse omnes creaturas à se conditas, imprimis autem Ecclesiam, liberrimè & optimè moderatur, cōservat & gubernat, ut illustrandæ gloriæ divinæ inserviant. Definitio.

EXPLICATIO.

Hoc locò non tam ordinem *naturæ*, quam *doctrinæ* sequimur. Priori modò indivulsò nexu cohærent creatio & providentia. Nec potest creatio cogitari, ubi non cogitetur providentia. Posteriores ordinem sequor, quatenus post lapsum actus speciales providentiæ divinæ occurrunt, ut objectum hujus providentiæ plenissimè concipiamus.

I. Providentia.

1. Observandum, quod sumatur vocabulum hoc, non in *sensu vulgari*, sed *singulari*. Priori modò Ciceroni *πρόνοια* notat actum, per quem videmus aliquid futurum esse. Posterior sensus est Ecclesiasticus, quatenus non tantum visionem seu contemplationem rei notat, sed & potentem administrationem. De providentia Græci habent duos terminos *πρόνοια* & *προμήθεια*. Posterius notat magis actum voluntatis.
2. Terminos si Biblicos spectemus, Providentiæ actus per verbum videndi exprimuntur, ut Genes. XXII, 8. cap. XLI, 32.
3. Videndi vocabulò utitur Spiritus Sanctus, non ut *visio* nudè *Theoreticâ*, sed *Præctica* intelligatur.
4. Distinguendum inter *præscientiam* divinam, & *providentiam*. Prior notat DEI notitiam, & ita de DEO ab æterno est dicta, posterior *curam* notat & dicitur de DEO post creationem.
5. Providentia non *qualis in humanis reperitur*, quando de patre familias